

## CXXVII.

## A

*Ad Raimundum Petragoricensem episcopum ut clericos de Roca bovis curtis per excommunicationem compellat ad restituendam Cluniacensibus eam ecclesiam.*

(Anno 1146, Sept. 9.)

[D. BOUQUET, *Recueil*, XV, 441.]

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri RAYMUNDO Petragoricensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad tuam credimus notitiam pervenisse, quoniam nos controversiam quæ inter dilectos filios nostros Cluniacenses monachos et clericos de Rocha Boviscurtis (*La Rochebeaucourt*), super ecclesiam ipsius loci jamdiu agitata est, diligenter audivimus et cum fratribus nostris super ea diu contulimus. Auditis siquidem utriusque partis rationibus et diligenter inquisitis, quoniam ex utriusque partis confessione monachos fuisse in possessione cognovimus, judicavimus ut si monachi duobus aut tribus testibus idoneis in venerabilium fratrum nostrorum Lamberti Angolismensis et Geraldii Lemovicensis [præsentia], probaverint quod ipsi de possessione ejusdem ecclesiæ violenter expulerunt, ipsa possessio eis restitueretur.

Nunc autem, sicut præfati fratres nostri litteris suis nobis significaverunt, Cluniacenses monachi probationem ipsam, juxta litterarum nostrarum tenorem, in eorum præsentia compleverunt, sed monachi ipsi, sicut litteris nobis significaverunt, qui restitutionem possessionis ab illo qui abbas dicitur, et aliis clericis qui præsentibus aderant, secundum judicium nostrum (obtinere debuerant), minis et contumeliis repulsi, cum iterata querimonia ad nos remissi sunt. Quia igitur Cluniacensis monasterii justitiæ minime deesse debemus, et eorundem clericorum inobedientiam et contumaciam ulterius ferre non possumus, per apostolica tibi scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, infra triginta dies postquam præsentia scripta susceperis, ecclesiam ipsam cum ornamentis et cæteris pertinentiis suis monachis Cluniacensibus plenarie restituas. Si vero clerici contradicere præsumpserint eos excommunicatos publice denunties, et tandiu excommunicatos teneas, donec, juxta mandatum nostrum, restitutio compleatur. Facta autem restitutione, si clerici qui ante monachorum expulsionem in ipsa ecclesia ordinati erant, de proprietate agere voluerint, in præsentia præfatorum episcoporum, juxta tenorem aliarum litterarum nostrarum, causa audiat, et line canonico terminetur. Alios autem clericos, qui post monachorum expulsionem in ipsa Ecclesia intrusi sunt, nequaquam ad causam de proprietate admitti volumus.

Datum Viterbii v Idus Septembris.

## CXXVIII.

*Bulla pro monasterio Gellonensi.*

(Anno 1146, Sept. 18.)

[*Gall. Chr. nov.*, VI, Instr. 280.]

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio UGONI abbati S. Guillelmi, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Ex commisso nobis apostolatus officio tam vicinis quam longe positis existimus debitores, cumque omnes fratres communiter honorare ac diligere debeamus, et ecclesiis sibi commissis debitam conservare justitiam, propensiori tamen studio charitatis illos nos convenit confovere, quos ampliori morum honestate ac religionis nitore constat esse per Dei gratiam illustratos. Hujus rei gratia, dilecte in Domino fili Hugo abbas, tuis justis petitionibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Guillelmi, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuantes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem cœnobium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium, sen aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: In Lutevensi episcopatu fiscum Sancti Genesii Litensis, et ecclesiam Sancti Joannis cum villa, atque munitione sua, cæterisque pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Martini cum fisco de Castris, ecclesiam Sancti Saturnini de Seiraz cum fisco, ecclesiam Sancti Felicis, ecclesiam Sancti Martini de Monte Petroso cum capellis suis, scilicet Sancti Petri de Monte Petroso, et Sanctæ Mariæ de Guarringa. In Biterrensi episcopatu, fiscum Miliaci cum ecclesia Sancti Guillelmi, ecclesiam Sancti Paragorii, ecclesiam Sancti Genesii de Campaniano, ecclesiam S. Joannis de Muro vetulo, cum capella ejusdem castri cum decimis et pertinentiis suis, ecclesiam S. Vincentii de Popiano cum pertinentiis suis. In episcopatu Nemausensi, prioratum S. Petri de Salve cum universis ecclesiis et pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri de Mayrois cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Guillelmi de Esperone, ecclesiam Sancti Martini de Beers cum pertinentiis suis. In episcopatu Agathensi, ecclesiam S. Martini de Caux cum decimis et aliis pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri de Fontemartis cum pertinentiis suis. In episcopatu Magalonensi, ecclesiam S. Martini de Lundras, cum capella S. Girardi de castro Lundrensi, cum decimis cæterisque pertinentiis suis, ecclesiam S. Michaelis de Grimiano cum pertinentiis suis. In episcopatu Vivariensi, ecclesiam S. Hilarii et S. Martini cum appendiciis suis de Spedonia. In episcopatu Vapincensi, ecclesiam Sancti Desiderii de Ortamota, ecclesiam S. Petri de Ulmobel, cum appendiciis suis unitis cœnobio monialium Vapincen-